ACADEMIÆ GIESSENSIS RECTOR JACOBUS LEBLEU, U. J. D.

Ejusdem & Civil. Prudent. P.P.

CIVIBUS ACADEMICIS SALUTEM.

GLUCKSTADJ,
Typis MELCHIORIS KOCHII, ANNO 1665.

29

INter leges quibus fultam esse Plato voluit Remp. nulla eminentior, majorique æquitatis fulgore corusca, qvàm ea, qva venerari illorum imperavit, qvi debitum legibus cultum præstitissent, exeqvias. Qvod alibi duobus Angelis humanarum actionum directoribus, Præmio nempe & Pœnâ expressum, posterorumqve memoriæ commendatum esse voluit. Stimuli sunt rectè merentium encomia, qvibus ad imitationem aguntur, ad qvorum aures denatorum exempla perveniunt. Hoc acerba meditantibus improvisi obitus nuntia Viri qvondam Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimiqve Domini THEODORI Reinkings/ Hereditarii in Wellingsbüttel/ Regiæ Dan. Majest. Cons. & Cancellarii Slesvvic. Hollsat. meritissimi, nec non supremi Appellationũ Judicii, qvod Pinnebergæ est, Præsidis gravissimi &c. occasionem subministrat exsolvendi honoris testimonium memoriæ ipsius virtutibusqve debitum, ut solando vita instruatur superstitum, egregiarumqve actionum æmulatione incendantur universi. Non præter rem qvidam ex Priscis dixit, non magnum discrimen esse inter belluam & hominem, qvi ita vivit, ut omnem humanitatem exuat, cui votorum summa, qvid edat, qvid bibat; qvi solo palato sapit, eoqve ingenium exercet, cui anima pro sale data est. Proponamus, oportet, finem summi Boni, ad qvem nitamur, ad qvem omne factum nostrum dictumqve respiciat: Sic ejus vita,

ta, qvi præsentis funerei sermonis objectum est, ad summum Bonū, sicuti navigantibus ad sidus aliqvod, præcipuè directa, Ortu clara, virtutibus illustris, meritis conspicua, crescentibusq; indies eruditis laboribus ad summū gloriæ provecta fastigium. Illuxêre anno salutis reparatæ 1616. radiantia illius doctrinæ Lumina Gissensi Academiæ, cujus bono à Sereniss. Principe ac Domino Dn. LUDOVICO Hassiæ Landgravio etc. recordationis gloriosæ, Professor Juris ExtraOrdinarius constitutus, Consiliariiq; atq; Advocati titulis exornatus, anno 1618. Dicasterii Giessensis Assessor, anno 1625. Procancellarius Principatus Hassiæ superioris in Dicasterio Marpurgensi salutatus, ubi neq; dicendi virtus, neq; auditorium ipsi defuit, qvod affatim scripta testantur multo acumine assurgentia, qvæ in admirationem legentes rapiebant olim, & nunc rapiunt; Magnus semper in utroq; foro ingeniorum fautor & æstimator. Rerum summæ admotus anno 1632. apud Serenis. Megapolitanorū Ducem, maximam ibi Cancellarii dignitatem promeritus, pòst officii ejusdem splendore apud Serenissimum & Potentissimum Daniæ Regem &c. apud Holsatos emicuit, incorruptæ fidei & veritatis cultor, moribus & vita innocens, prudentia eximius, regendis hominum animis, & qvo vellet, impellendis à natura factus, Ingenio sagaci, indole planè ingenuâ & liberali, adversus omnes fortunæ minas imperterritus, loqvi & silere capax, qvem magna ubiq; fama præcessit, qviq; major ubiq; inventus est; Hunc mones observarunt patrem, peritiorisq; Jurisprudentiæ

Observatores æternum venerabantur Patronum. Unicus illi actionum finis bonum publicum. Id ubiqve consecutus, ut celeberrimum ejus apud omnes nomen esset, utq; exemplum proposuisse cunctis videretur, qvales esse debeant, qvi parem adepti sunt dignitatem. Nihil illi Patria antiqvius, cui nunqvam consilio, nunqvam opera defuit, in hoc felicissimus, qvod è sævissimis eam ereptam tempestatibus in tuto collocatam conspexerit. Cujus animi vis ad summum gloriæ lumen excesserat, ætate ad annum 75. tractâ, qvo animam Deo reddidit, à qvo ad Regni fructum & exemplũ eam acceperat. Natus anno 1590. die 10. Mart. denatus, anno 1664. die 15. Decembr. Patriam virtutibus beavit, genus nobilitavit, progeniem decoravit, Majores rememoravit, posteros excitavit, præsentes perfecit, remotos affecit, & clarissimo genio, ingenii vires, animiqve dotes, pessundatâ calcibus invidiâ, linguâ facundâ, animosè dexter, imò dexterrimè animosus percurrit. Gratias potius Deo agant optimi qviqve, qvòd tanto se perfrui viro concesserit, qvàm qvòd accusent, qvòd eripuerit, cæteriqve omnes, qvi à secretis Reip. consiliis sunt, eâdemqve qvâ ille viâ nituntur, vitam potius ac virtutes illius imitentur, qvàm mortem defleant. Cætera, qvæ præmissis desunt, per omnes Eloqventiæ numeros, & pro materiæ amplitudine explebit Vir Nobil. Amplis. & Consultis. Dn. Huldericus Eyben, U. J. D. & ejusdem Professor meritissimus, cras Deo dante horâ 2. pomer. Cui Actui Oratorio, ô Cives Academici Nobilissimi, Florentissimi, qvin vestram præsentiam commodaturi sitis, sicuti nullatenus dubitatur, ita eam ab humanitate Vestrâ splendida expectat REINKINGIORUM familia. Valete interim prosperè ac feliciter. PP. Giessæ, die IX. Martij, Anno 1665. Sub Sigillo Academiæ Majori.

ORA-

ORATIO FuNEBRIS,

In Obitum

Viri Magnifici, Strenui & Prænobilissimi

DN. THEODORI REINKINGII,

Hereditarij in Wellingsbüttel/ JCti Consummatissimi Sac. Reg. Majest. Daniæ Consiliarij & Cancellarij in Ducatibus Slesvic. Holsat. meritissimi, nec non supremi Appellationum Judicij, qvod Pinnebergæ est, Præsidis gravissimi etc.

Ex incluti Senatus Academ. Gieß. decreto d. 10. Martij Anno 1665. publicè habita, ab

HULDERICO EYBENIO, J.C. & Profess. Jur. Ordinario &c.



GLUCKSTADJ,

Prælo COCCIANO.

Magnifice DN. RECTOR, Præilluſtres & Generoſiſſimi Dnn. Comites, Magnifice Dn. Cancellarie, Viri maximè Reverendi, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Præclariſſimi, Excellentiſſimi & plurimum Reverendi: Tuq; Studioſorum nobiliſs. clariſs. & florentiſs. Corona ornatiſſima.

Qvando mors THEODORI REINKINGII ex literis ea re hac perſcriptis & mihi innotuit, obitum *Viri illuſtribus in omnem rempubl. meritis* hôc veluti leſsô me excepiſſe memini: *juſtus moritur & nemo percipit corde, &c.* Teſtis es, qui & dicenti annuebas, & arreptô ſacrô Codice *Eſaiæ c.57. verſ.1. & 2.* in qvibus verba illa extant, integras, prælegebas, *Ampliſſime Dn. D. Tülsnere, Socer venerande.* Utut verò nullâ præviâ meditatione aut deliberatione me protuliſſe verba illa, ſed, auditis novis ac inopinis, uti ſolemus, perculſo derepente excidiſſe fatear. Non tamen eſt, ut eorum me vel nunc qvicqvam pœniteat. qvin potiùs privatim & fortuitô, piô tamen, effuſa gemitu, publicè & conſultò repeto, exequiisq;, qvæ *beatiſſimo Viro* hodiè ducuntur, altâ voce acclamo: *Juſtus moritur & nemo percipit corde: viri miſericordiæ colliguntur: qvia non eſt, qvi intelligat. à facie enim malitiæ collectus eſt juſtus.*

Eqvidem qvi oculis, qvi auribus uſurpent, qvi deniq; notitiâ qvâcunq; aliâ percipiant *Nobiliſſimi* REINKINGII exceſſum, innumeros fore credo. Neq; ſi univerſam Europam & alias orbis partes, qvæ *Ejus* meritô ſuô fuit celebritas, dixero, nimium dixero. Annon enim *Viri ſummi* doctiſſimos de republ. noſtra Commentarios in ipſa India reperit, qvi eos inde advectos *Auctori* obtulit, Vir fide digniſſimus. in Americæ qvoq; caſtro Fernambuco eosdem repertos, alii memorant.

Lutherum ejusq; obitum qvis mundi angulus iis temporibus igno-

ignorabat? Aſt, ſcribit *Johann. Calvinus*,* qvi ad tàm excellentis Legati & Annunciatoris Evangelii, tantiq; Dei Prophetæ mortem adverteret animum, ipſamq; ſubſecuturæ deſolationis ſenſu aliqvo afficeretur, in media Germania inventum propè neminem fuiſſe.

Corde igitur qvi *percipiant*, rectèq; interpretentur mortem *juſtorum*, qvi cœleſtis iræ argumenta & periculorum inſtantium præſagia indidem petant, porroq; de vita emendanda & cum ſanctitate & virtute degenda, ſerio ac ſincerè cogitent; hos, inqvam, reqvirit, hos deſiderat Divinus Propheta, & nos hodie, qvando mortuo JUSTO (cujus utinam mors ſiniſtri ominis compluribus ſtipata indicinis ut ne ſimile qvid portendat!) juſta facturi venimus. Qvæ provincia, *Patres conſcripti*, veſtrâ auctoritate mihi impoſita, aliis non unô debebatur nomine. Aſsident enim qvorum alii neceſsitudine, alii rerum peritiâ, alii, qvam in me prorſus nullam agnoſco, eloqventiâ, alii aliis rebus potiores. Sed cùm eloqventiæ qvod deeſt, officii neceſsitate, ſecundùm illud Qvintiliani: † *Laudationes funebres freqventer ex publico aliqvo officio pendere etc.* apud æqvos judices excuſaturum me confidam, reliqva autem bonâ penſaturum voluntate, nihil ſupereſſe reor, qvod magnopere me morari vel turbare debeat.

Dicam ergo & pro rerum magnitudine paucisſimis dicam, THEODORUM REINKINGIUM juſti nomen â Vobis, ex formula ſive moralis, ſive civilis, ſive ſacris, diſciplinæ arbitraturis, jure ſibi meritòq; poſtulare, ſpondere. Vos autem, *Auditores lectiſsimi*, ſi virtuti, ſi prudentiæ ac juſtitiæ, ſi pietati favetis, qvod facitis profectò, REINKINGIUM *tot tantisq; titulis ſublimem*, ſine fuco & verborum lenociniis, (qvantum qvidem per valetudinem dubiam & fractas aliqva corporis vires licuerit.) oſtenſuro favebitis.

Qvid verò nunc primum dicam, qvid inde, qvid poſtremum, alia mihi omnia uſuvenire ſentio atq; olim Nardo Liparulo,*

* *in Comm. Gall. ad Eſai. c. 57. verſ. 1.* † *lib. 3. inſtit. orat. 7.*
* *Nard. Lipar. in vit. Andr. Iſern.*

qvi

qvi *magni illius & mirandi*, qvem ipſe vocat, *legum præſertim feudalium interpretis, Andreæ de Rampinis, Iſerniensis*, vitam memoraturus, *nulla de ea, qvod mireris, utut adhibitâ à ſe in iis habendis exqviſitiſſimâ inqviſitione, ſive apud illius cives Iſernienſes ſive Neapoli inveniri monumenta potuiſſe* conqveritur. De REINKINGII noſtri ortu, vita rebusq; geſtis & publico & privatorum monumentorum plenisſima ſuppetit notitia. Tota Germania loqvitur, loqvitur ipſe REINKINGIUS, in ſe digna, qvam numeroſam reliqvit, mentis ſobole hactenus qvoq; ſuperſtes. Nolo autem vel, ut rectiùs dicam, non valeo ego qvidem cuncta percenſere, ſed extantiora qvædam, pace veſtrâ fecerim, ex immenſo decerpam cumulo.

Qvi bonam mentem moresq; ſanctiores alere aptior natus, ut hinc ordiar potisſimum, *Auditores*, ſangvinem generoſiorem á majoribus ſuis feliciter traxerat REINKINGIUS. Sortitus eos tàm virtute, qvàm honoribus, partim qvoq; eqveſtribus imaginibus clarisſimos; *Lambsdorffiorum, Baſtenſium, Corffiorum* in *Curlandia* & Weſtphalia familiis ſplendidisſimis affinitate innexos. E Lambsdorffiis ipſum avum maternum habuit THEODORUS, *hereditarium Dominum in Thalſen*, ſibi & cognominem & nominis auctorem. Si poſtea loci etiam natura ad ingenii bonitatem conferre qvìd putatur, putatur autem nec abs re â plerisq; neſcio qvem potiùs ſibi optare voluiſſet, qvàm urbem illam invictam qvæ nuper iterum iterumq; *præclarô & ad poſteritatem inſigni fortitudinis exemplô, conſtantiæ & fidei erga Regem ſuum ſpecimen ac documentum edidit cum æternitate rerum duraturum* qvæ non mea, ſed *potentisſimi Suecorum Regis Regniq;* verba ſunt.* *Rigam* enim, qvæ REINKINGIO patria obtigit, me innuere perſentitis.

Qvæ ergo majorum ſangvis, qvæ natalis ſoli genius ſparſit nobiliora ſemina, ea porro divinus Baptismi latex omnium feliciſſimè, atq; ita eluit, fovit, fœcundavit, ut in lætam virtutum ſegetem facillimè maturuerint. Maximè ut, ætate ferente, nulla

* *Diplom. Nobil. Rig. dato Holm. d. 23. Decembr. 1660.*

non

non cura & cultura dextrè adhibita, cùm intellectui artibus & scientiis instruendo, tùm voluntati virtutibus & probis moribus subigendæ. Laborantium spem operamq; non fallente tàm benignâ glebâ & sacrô semine. Qvam rem eâ sollicitudine egit *Pater*, ut *filiolum*, vix infantiâ majorem, ædibus suis, nondum suæ ætatis factum, ipsâ *Curlandiâ*, qvam tamen lues truculenta tunc infestabat, emittere sustinuerit. Fuit forsan, ut eorum consilia audierit, qvi virtutem & sapientiam ambientis nihil æqvè intercipere vota constituunt, qvam patris cœli blanditias atq; illecebras.

Ab illo igitur tempore in *Westphaliæ* urbibus & scholis non ignobilibus, *Osnabrugensi*, Lemgoviensi, *Hagensi* item *Schaumburgorum* illustri Gymnasio, mox in *Academiam Ernestinam* mutatô, *Coloniensi* deniq; Universitate, literis, jurisprudentiæ ac bonæ menti operam navavit: eô qvidem fervore & animi contentione, ut integrô decenniô nec patrem nec patriam viderit. Illum itaq; salutatum ivit. Inde in Germaniam reversus (annus erat post Christum natum 1616.) *Giessam* hanc nostram properavit. Ubi eruditione suâ morumq; integritate amplissimo JCtorum Ordini probatâ, ac disputatione *de Brachio seculari & Ecclesiastico*, olim celeberrimum de *Regimine &c. tractatum* pariturâ, maximô cum applausu habitâ promeruit, qvi inter juris Sacerdotes ritè alliceretur.

Deprehenditis procul dubio, Auditores, pleraq; per indicem â me delibari, qvare promissi minùs memorem arguetis, qvi in amœna *Reinkingianæ juventutis* tot annorum historia vix attigerim, qvàm ille interea modestum, humanum, pium, obseqventem, religiosum, nullâq; non virtute commendabilem omnibus se exhibuerit. Verùm, si per vos licet, commissum emendabo errorem, omissa protinus supplebo. Imò pro me id præstabit Princeps non sine horrore qvodam & religione nominandus, LUDOVICUS *Fidelis* Hassorum Landgravius etc: hujus Academiæ pientissimus fundator, proh qvantus heros! Is REINKINGIUM, juris Doctorem nuper renunciatum, nihil tale petentem,

tentem, nec cogitantem qvidem, ad *juridicam Professionem*, qvam vocant, *extraordinariam* clementer invitavit, annóq; seqventi, seculi hujus 17., in Consilium suum assumpsit. Contestor vos, *Auditores*, num gravius sanctiusq; virtutis testimonium sperare pro juvene vix majore facto, imò optare aliud ausi fuissetis? Qvantum hoc est, existimate, iis honoribus ultrò vocari, dignumq; censeri, & qvidem, qvod caput est, â *Divo* LUDOVICO *Fideli*, ad qvos non nisi virtute eximiâ, morum innocentiâ, doctrinâ non vulgari, justitiâ cumprimis, pietate & prudentiâ præstantibus viris, apud bonos qvosq; & cordatos Principes, aditus patet. Considerate qvæso insignem, Hassiæ dicam, an novi hujus Hassiæ Luminis? gloriam; deprædicate temporum illorum felicitatem. REINKINGIUS ex optimo viro, nihil cætera mutatus, in optimum civem illico transit, qvod nisi in beata civitate usuvenire non posse, me rectius nostis. Qvali reipubl. nos qvidem hodie, nos, inqvam, qvi Christianum nomen jactamus, qvi Evangelij lucem, qvi beatissimæ illius cœlestis civitatis jura nobis promittimus, nec in spe, imò, pudet dicti, vix in votis nostris locum facimus reliqvum. Qvâ autem fide & dexteritate muneris amplissimi partes perfunctus sit NOSTER, saltem inde velim dijudicetis, qvod Consilium Principale, postqvam in eo septennium assederat, ab eodem D. LUDOVICO *Landgravio* pro Cancellario regere jussus; intereaq; ab extraneis qvoq; Principibus magno in pretio habitus fuerit. Inter qvos *Archiepiscopus Bremensis* JOHANNES FRIDERICUS *Heres Norwegiæ, Dux Holsatiæ, &c.* honorarios Patriciatus codicillos ipsi misit; *Augustus Comes Palatinus Rheni, utriusq; Bavariæ Dux, &c.* Qvæstoriam dignitatem Palatij sui, qvam Cancellarij vocamus, obtulit. Uterq; ultro & cum varia benevolentiæ non vulgaris significatione. Ad-hæc-dum tamen Hassia nostra possedit *Virum*. Ferrea illa volvebantur tempora, qvibus ferrô ac solidâ vi res agebatur ubiq;. multis ea gravia, misera atq; exitiosa; paucis læta; hos inter tamen *Celsissimis Meklenburgi Ducibus*, qvos annus 31. solio restituerat opibusq; avitis. ADOLPHUS ergo FRIDERICUS *Dux*

Meklen-

Meklenb., virum, puta, justum, prudentem, boni publici studiosum, rebusq; arduis agendis idoneum: unô verbô, talem, qvalem esse REINKINGIUM famâ minimè fallaci acceperat, nulla mora, voluntatem ejus explorat, simulq; *â magni & incluti Dni nostri, Principis* LUDOVICI VI. *Hassiæ Landgravij, Principis Hersfeldiæ, &c.* qvem Deus servet, parente laudatissimo D. GEORGIO *Hass. Landgravio, &c.* multis obtestationibus impetrat tandem, ut sibi in posterum Cancellariô REINKINGIO uti liceret. Qvamvis per Bellonæ rabiem non diu licuerit, abeunte REINKINGIO in aulam *Serenissimi* FRIDERICI *Archiepiscopi Bremensis, &c. Heredis Norveg. &c.* qvi postmodum Regiâ coronâ Danicâ feliciter auctus Cancellarium illum in provincjis suis *Slesvicensibus Holsaticis* &c. constituit, deinceps qvoq; supremo appellationum judicio Pinnenbergico præfecit. Sed ita qvidem, Auditores honoratissimi, res tantùm ipsæ loqvuntur, non ego: qvi vix summa illarum capita designavi. nam innumera, nec minus in rerum argumentis posita, subticuisse me, aut ut verbo commodiori, & ad meam excusationem aliqva pertinente dicam, sacro silentij horrore obvolvisse sentio. Neq; enim enarravi vobis, Auditores, REINKINGIUM qvàm ægrè dimiserint, qvibus discedentem elogiis, qvibus amoris gratiæq; testimoniis prosecuti sint, simulq; advenientem exceperint Principes. *Divus* noster GEORGIUS ad *Ducem Meklenb.* scribens,* nescit qvibus verbis *Consiliarij & Procancellarij* hujus sui virtutes & dotes ferè incomparabiles ex æqvo deprædicet. Proindeq; qvod in abitum ejus, sibi suisq; tristem noxiumq;, inusitatâ qvâdam erga *Principem Meklenburgensem* propensione adductus consensisset, eidem pro ingenti beneficio reputat. Jpse *Dux Meklb.* literis ad *Potentiss. Regem Daniæ* &c. datis, † nihil aliud agit, qvàm ut *Cancellarij sui* fidem, solertiam, candorem, justitiam & merita insignia graviter collaudet. Et, qvod mireris, nunqvam Principes jam jam laudati fidelissimum illum suum Consiliarium migrare passi, nisi cum *lege manendi,* imò & *redeundi* qvandoq;. Tam *Hassi* & *Meklenbur-*

* *Anno 1632. d. 18. Martij & 16. Maij.* † *30. Aug. 1640.*

lenburgici Principes, qvam *Bremensis Archiepiscopus* abeuntem non affectu tantùm retinuerunt & desiderio, sed oblatis qvoq; datisq; luculentis stipendijs, (qvamvis hæc *Noster* haud promiscuè admiserit) & alijs sublimiorum beneficiorum ornamentorumq; vinculis. *Iste* etiam redeundi legem exercuit. Qvem enim, rebus suis mutatis, *Archiepiscopus* invitus dimiserat, eundem, vix sesqvimestri interpositâ morâ, vicibus interea iterum conversis, *Rex* revocavit. Neq; porro, Auditores à REINKINGIO nostro in variis officiis & administrationibus, domi, foris, pace, bello, in Comitiis, legationibus amplissimis, Palatio, Tribunali, & ubi non? cordatè, sapienter, & ad publicum egregium gesta vel simplici relatione vobis aperui. Qvâ ille majestate, qvâ comitate, qvâ dicendi vi copiâq;, coram Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, coram Regnorum & Provinciarum Ordinibus aliisq; Proceribus, de rebus maximis & difficilimis disseruerit? Qvàm generosó animó summos honores & conditiones opimissimas, præ fide in Regem suum, fuerit aspernatus? Qvæ nihilominus tot laboribus tantisq; curis meruerit præmia: qvorum cum partem aliqvam ostenderimus, aliam tamen non minus splendidam hactenus dissimulavimus. Nec enim tacendum erat *Cæsares Augustos Sacratissimos* D. FERDINANDUM II. Comitis palatij dignitatem, D. FERDINANDUM III. Eqvestris ordinis propriô, qvod ajunt, motu dedisse; & formulâ utrumq; qvidem amplissimâ. Verum hæc talia sunt, qvæ justos commentarios implere, non unâ alterâve pagellâ, aut horario sermone concludi sciant. Egóne itaq; homo nullâ facundiâ tàm multas tâm præclaras & illustres actiones, qvas cogitatione asseqvi vix datur, plenâ & opportunâ oratione amplecti atq; eloqvi audeam? satis mihi fuerit undiqvaq;, ni fallor, manifestum effecisse, REINKINGIUM & Oratorem maximum & optimum justitiæ reiq; publicæ ministrum & judiciorum gubernatorem felicem extitisse; qvibus nominibus JCtum perfectum cluere vult *Imrator noster* JUSTINIANUS.* vel hæc enim, si cui sors ex supe-

* *§. 6. & 11. Const. de meth. docend. jur.*

rioribus

rioribus id nondum liqvet, ex præcipuis ejus virtutibus & tanqvam proprijs fuit, ut in consilijs quidem ad reipubl. salutem cuncta referret, in judicijs autem sine sordibus sine odio favoreq; privato, &, ut erat placidis moribus, sine excandescentia jus sanctissimè exactissimeq; redderet. Qvæ laus eò majoris facienda eòq; accuratiùs commendanda, qvo rarior ea hodie, &, terris fastiditis, supra humanum captum ascendisse videtur. Vetus verbum est, *inter arma silent leges.* Hodie inter ipsas leges, & in legum officinis etiam contumaciùs silent. Contrà libido, avaritia, & maleferiata mille aliorum affectuum turba impotentissimè regnant.

O nobis ergo multos tales *Reinkingios!* invictos, inqvam, justitiæ satellites, afflictissimis mortalibus solatia, perditissimis terrores, & nondum desperatis in melius exempla! Nec in eo postremò vel reipubl. vel boni civis officio defuit vir *optimus*, quod uxore ducta ex primaria & Nobilissima Hass. Familia Pistoriorum de Nidda (quæ Cancellarios Hassiæ dedit, Consiliarios, Historicos, Theologos, literatos, literatorumq; Patronos) liberis civitatem non tam repleverit, qvam ornaverit, firmaveritq;.

Sed næ vestrâ, Auditores, abutar patientiâ: spero tamen &, si permittitis, rogo etiam atq; etiam, tandem qvoq; *Reinkingium* Theologicè justum recognoscere ne molestum vobis accidere patiamini. An verò, qvem tot virtutibus, tot divinis muneribus auctum hactenus conspexistis, sine qva nihil publicè privatimq; feliciter geri potest, *pietate* caruisse judicabitis? Imo hæc illi caput & basis omnium cæterorum, quæ non adjecta habuit voluitq;, qvàm ut regnum Dei qvæsivisset primum. Vir sinceræ religioni deditissimus eam sibi rerum Theologicarum scientiam, divino actus Spiritu, comparaverat, quam in multis, nomen ab ista ducentibus, frustrà reqvisiveris. Imò qvantum in hisce Studiis præstiterit, ex publicè conscriptis libris *de Statu animæ in morte, de patientia* &c. non minùs, quam consummatissimam ejus eruditionem legitimam & civilem, ex *commenta-*

riis

riis de Regimine Sec. &c. jam supr. laudatis & meritò suô nunqvam satis laudandis, item *de Retractu consanguinitatis aliisq;* orbis novit. quod enim sub nomine *Politiæ Biblicæ* edidit opus aureum, utriusq; generis rara documenta junctim amplectitur. Certè *aphorismorum medico-practicorum libellus*, ut obiter heic dicam, egregiè testatur, qvàm nihil, cujus cognitio in laude cubat, ignorare sibi permiserit ingenium illud capacissimum. Hæc ergo notissima sunt omnibusq; obvia. Ista autem rerum sacrarum scientia non nuda fuit & sterilis, nec ad ostentationem aut vanam profanamq; ambitionem facta, uti hodie, proh dolor! in plurimis est, re omnium optimâ, omnium pessimè nefarieq; abutentibus. Ad veram solidamq; fidem, exindeq; ad vitam innocenter agendam, ad morum sanctitatem, ad caritatem in Deum hominesq;, ad timorem Dei, cuncta traducebat componebatq; vir pientissimus. Uti leges sine moribus, ita scientiam sine usu, fidem sine operibus nihil proficere optimè norat. Caritatem in Deum probabat hominibus benefaciendo, ad quos seriò sanctèq; amandos amore divino accendebatur, orando, sacra meditando & alijs pietatis exercitijs Deum incorruptâ purâq; mente colere, animum peccati labe infectum subinde expurgare, & divinis Spiritus S. operationibus totum se dare, prima ipsi & summa semper cura erat. Nec defuêre pericula, damna, belli, injuriæ multiplices, mala domestica & aliæ calamitates à Benigno Deo immitti solitæ, quo ijs coercita effrenis caro nostra Spiritui recalcitrare dediscat. Uno in Deo spem omnem felicitatemq; collocabat, qvam proinde non magis res adversæ minuere, qvàm secundæ augere potuerunt. Quiquid benè pièq; sensit, egitvè, non suis viribus, sed divinæ imputavit misericordiæ, cui & Salvatoris nostri immenso merito, uti debuit, omnem suam hanc *justitiam* accepto tulit, atq; in ea fide usq; ad extremum vitæ halitum constantissimè perseveravit. Reliqva quæ orbis hic noster habet, scit, qværit, optat, imò adorat, pro qvisqvilijs duxit, & uno vanitatum nomine

mine damnavit omnia. Egregia prorſus ſunt & cœleſtem ſpirant afflatum, qvæ hanc in rem in novisſimis meditationibus, ceu in cignea qvadam cantione, manu ſua exarata reliqvit vir ſanctus. Ubi inter alia: *ut animadverti*, ait, *omnium rerum ſublunarium & ſcientiarum vanitatem, addiſcendis tribus artibus, in Chriſti Schola doceri ſolitis, unice operam impendere inſtitui, arti orandi, moriendi & patiendi.* de cætero profitetur vir Deo amabilis, *nihil ſe ſcire præter* JESUM CHRISTUM *crucifixum, ejus vulneribus totum ſe involviſſe & exſpectare ſalutare Domini*, &c. Atq; ita demum verè & perfectè juſtus evaſit B. Reinkingius Noſter. Illum ergo nihil dubito mecum ſic ſtatuetis, Auditores æqvisſimi, non qvidem nomine, ſed re juſtum eſſe, eumq;, qui, ut â poſteris, meliori jure ac *Ariſtides* olim, in imitandi exemplum colatur, aut, ſi hoc abnuit corruptisſima ſeculi indoles, laudetur ſaltem, vel maximè nunc poſt funera dignus ſit. Quæ tamen funera minimam ejus vilisſimamq; partem contingunt. Longè enim nobiliore & majore ſui parte vivit REINKINGIUS. Vivit multarum præclarisſimarum rerum immortali gloriâ ac famâ: vivit in *libris* & *liberis*, qvorum uti illi exanimes ſunt, ita hi, faxit Deus, viva ſint maneantq; paternarum avitarumq; laudum effigies. Vivit deniq; in cœlis ac ſinu Abrahæ: Ubi illum nobis pari felicitate, qvæ ineffabilis eſt, videre ſuô cuiq; tempore, ut liceat, cœleſtis Pater totô pectore rogandus eſt. Id qvod mecum unicè facietis, Auditores, & per Dei gratiam impetrabitis. Dixi.

DUm THEODORUS obit REINKING, HOLSATIA luget,
Et fundit tristes pectore & ore sonos.
Pignora Conjugij *plangunt*, Cognati & *Amici*
Hassiaci multis fletibus ora rigant.
Flet Pietas, *flet sancta* Fides, *flet* Triga Sororum,
Flet Themis; *heu rapuit nam fera Parca Virum,*
Virtutis speculum, Lumen probitatis, Asylum
Pressis, Tutorem Justitiæq; gravem.
Qui verè coluit, procul omni fraude remotà,
Mortales studiis, Relligione DEUM.
Quem penes annorum fuit experientia longa,
Quem penes & Pietas Integritasq; fuit.
Cernere ob has dotes plures REINKINGIUS annos
Dignus erat, Pylij & vivere secla Senis.
Sed moritur; Pietas, virtus & gloria Famæ,
Non poterant Mortis spicla fugare trucis.
Nil artæ Integritas, nil Juris Cultus & Æqvi,
Nil valuit summus Relligionis amor.
Sic Deus ast voluit, Dominus qui cuncta gubernat,
Hinc nobis placeant, qvæ placuêre DEO.
Non etenim interiit, sed Mens super astra triumphat,
Percipiens celsi gaudia vera Poli.
Terrea pars Terræ cessit, pars cœlica Cœlo,
Utraq; supremo glorificanda die.
Non igitur mirum geminâ si parte solutus
In terrâ & cœlo sic super esse potest.

REIN-

REINKINGI interea requiescent molliter ossa;
Semper & in terris Fama superstes erit.

Sinceræ συμπαθείας contestandæ ergò facieb. Giessæ

GREGORIUS TULSNERUS, J.U.D.
Palat. Cæsar. Consiliarius Hasso-Darmstad. & Professor Codicis Ordinarius, Affinis.

Als der grosse Reineking/dessen Ruhm die Welt erfüllet
Der Rechtslehrer Kern un Preiß/so Begir=und freudig hat
Diesem irrdischem entsagt; Ist nicht Wunder/ weil der Rath
Seines Hertzens jederzeit sich bemühet/ sich gestillet
Nur damit/ daß gleich und Recht/ wie es Gottes Brun ausquillet/
Lauter ohne Dunst und Tück / und mit grundgemeinter That/
Allen Er erweisen möcht. Also nunmehr auch empfaht
Die Natur aus seiner Hand ihre letzte Schuld/ und hüllet
Ihn im schwartzen Sterbekleid'. Hat demnach Herr Reineking
Biß in seinem Todt bezeuget / daß gewesen nie ein Ding
Worin der Gerechtigkeit Er sich hätte wiedersetzet?
Darumb leuchtet itzund Er denen hellen Sternen gleich/
Wird durch Gottes milde Gnad' in dem höchsten Himmelreich
Uberschwenglich hocherfreut und mit tausend Lust ergetzet.

Zu letzter Ehrenbezeugung/ in Eyl/ Dienstschuldigst auffgesetzet Von

H. Eyben/der Rechten Doct: und Ordinar-Professorn zu Giessen.

C Mar-

MARMOR.

CErne Viator opus tàm multo marmore, ſurgens
Nil ſatis ad tantum, quem tenet urna, Virum.
REINKINGUS jacet hîc, Themidos novus ipſus Apollo,
Principis & Regum ſtella corusca domus.
Hæc diffudit opes, miro ſplendore ferente
Juſtitiæ lumen, Pontifici tenebras.
Splendet adhûc, rigido regerant ex marmore flammæ,
Enthea mens durâ nulla tegetur humo.

Poſuit

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS,
Prof. Gieſſ.

ALta Themis cernens ſupremo funere mergi
REINKINGUM querulà talia voce refert:
Heu! quàm noſtra gravi res nunc convellitur ictu,
Dum Lacheſis vitæ ſtamina rupit atrox,
Projecitq; Virum, verax quem fama per orbem
Quem virtus circum laudis amica tulit.
Ille meum comitatus iter non ulla laborum
Aſpera pertimuit, ſat mala multa tulit.
Nobile ſic noſtri reſplendens agminis aſtrum
Occidit, atq; domus portio pulcra cadit.
Inſignem aſt pietate Virum non dicere fas eſt
Occidere; Hunc ſervant ſplendida dona ſibi,

Non

Non cadit, æthæriâ qui vectus ad æthera mente,
Mors qvamvis prêndat membra venusta nece.
Nunqvam mobilibus sua nomina scribet arenis
Virtus qvæ ab ipso funere macta viret.
Sic quem facta probant casus supereminet omnes,
Plus ultra ascendit qvo magis ipse citra.

Observ. ergo
pos.

HIERONYMUS RÖTEL, D.

SIc fata cogunt. Nec studium moram
Adfert senectæ, jura necessitas
Quando urget, actum est, sola nobis
Fama manet moritura nunqvam.
Tellus poposcit, quod dederat, Viri
Corpus, sepulcro magnifico tegens.
Miratur orbis mentem & artem,
Et studium subit astra tantum.
Sic vita duplex. Posthumus alteram
Christus Redemptor prorogat alteram.
Quid flemus ergo, in sede REINKINGK
Optumus Angelica triumphat.

Deb. observ. ergo
appos.

LUDOVICUS GODOFREDUS HOFFMANN.

Ut

Ut & hæc pagellæ facies compleretur, subjunctum est

BEATO Dn. CANCELLARIO

Optimè de se merito ac Patris instar charissimo hoc monumentum.



REINKINGUS *ille*, Vir pius, probus, gravis:
Consultus æqvi juris: atris sordibus
Purus: favore liber: omni affabilis:
Vindex laboriosus innocentiæ:
Famâ, eruditione, laudibus fidêi,
Svadáq; consilîq; vi admirabilis:
Cui regna cordi, regna cui curæ Dei:
Qvem cara laudat omnibus scientia,
Qvem gnara laudat ampliùs peritia,
Qvem rara laudat fortiùs prudentia:
Glukstadicum Decus: Suis lacrimabilis,
Eheu! relinqvens circulos mortalium
Qviescit hîc. At Spiritus cœlestium
Beata subjens templa gestit perpete,
Functus labore, nunc fruisci gaudio;
Lætusq; divis interesse cœtibus:
Cujusq; viderat modo umbram; nunc bonum,
Lapsis benignum conspicit coràm Deum,
Colitq; sanctis gratiarum ritibus:
Nos aura sola Nominis Tanti manens.

à

C. I. 𝔄. P. A.